



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118561

§. 101. Adamus Sasboldus mortuus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66577)

Sæcul. XVI. S. Joannem, necnon in epistolas D. Pauli,
 A.C. 1553 atque in Canonicas epistolas: cum au-
 tem Hebraici, Græcique idiomatis opti-
 me gnarus esset, cunctos hosce libros
 per paraphrases, notasque ad explican-
 dum textum percommendas interpreta-
 batur, quin tamen a Vulgata recede-
 ret, sed exacte eidem sese accommoda-
 ret, scriptaque apologia illius integri-
 tatem vindicaret. Scripsit insuper col-
 lationem in epistolam D. Pauli ad Roma-
 nos contra Erasmus, & Fabrum Stapu-
 lensem, ex quibus prior contra hunc
 Virum æque, ac Gilbertus Cognatus
 indigno prorsus modo calatum suum
 stringere non erubuit. Reliquit etiam
 posteris Titelmanus tractatum I. de au-
 toritate Apocalypses D. Joannis; II.
 Summam Mysteriorum Fidei Christianæ
 III. Expositionem cæremoniarum Officii
 Missæ IV. Meditationes sacras pro cor-
 dis in Deo constabilitate; V. de SS.
 Trinitate VI. Orationem de præmatura
 morte bonorum VII. Scholia in Arnol-
 dum Carnotensem de septem Verbis Do-
 mini in Cruce. Cuncta hæc opuscula
 typis impressa prodierunt.

§. CI.

Adamus Sasboldus mortuus.

Alter erat Adamus Sasboldus ex illustri
 Senatorum familia Delphii Anno
 Sal-

Salvatoris nostri millesimo quingentesimo decimo sexto natus, qui Anno Christi millesimo quingentesimo quadragesimo quarto S. Francisci Alumnis Lovanii aggregatus, nono post anno die prima Decembris hoc anno millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio nonnisi triginta septem circiter annos natus mortalitatem exuit. Recensentur inter ejus opera I. commentarii in quatuor libros Sententiarum, II. in Prophetam I^sfiam, III. tractatus *de variis Scripturarum sensibus*, IV. Commentarii in præcipuas D. Pauli, nec non D. Petri, & S. Judæ epistolas. V. Homiliæ, tresque sermones in illa Leviticorum verba: *eritis mibi Sancti*. Edidit quoque sermonem de vera Ecclesia, exstant que cuncta hæc opuscula Coloniensibus literis Anno millesimo sexcentesimo sexagesimo octavo excusa. Ceterum Auctor presse D. Augustini, ac S. Thomæ vestigiis inhaerebat, ejusque commentarii plus Theologiam, quam artem criticam redolent: id tamen jure merito in ejus laudem tribui potest, quod nullius frugis quæstiones resecet, solideque texuum explicationi immoretur. Nec tamen desunt Scriptorum nonnulli, qui Sasboldi commentarios adscribant Joanni Hasselio Lovaniensi Professori, qui anno Domini millesimo quingentesimo quin-

Sæc. XVI.

A.C. 1553.

Dupin. p. 2.

Sæcul. XVI. quinquagesimo primo in Synodo Tri-
A.C. 1553. dentina Mense Januario fatis cessit, is
 tamen longe diversus est Auctor ab alio
 Joanne Hasselio, cuius alibi memini-
 mus.

§. CII.

Claudii Guillaldi obitus.

Ad idem quoque tempus referri potest
 obitus Claudii Guillaud, seu Guil-
 laldi Bellojovii ad Ararim prope Lug-
 dunum nati; quo autem anno decesse-
 rit, ignoratur. Is Parisinæ Facultatis
 Theologicæ Doctor, Canonicus, atque
 in Augustodunensi Canonicorum Col-
 legio Professor in duos Evangelistas Mat-
 thæum, & Joannem commentatus est,
 nec non explicationem in D. Pauli, ca-
 nonicasque epistolas, sub nomine *colla-*
tionum scripsisse, ac typis vulgasse dici-
 tur. Horum primi commentarii Pari-
 siense prælum eo adhuc in vivis agen-
 te Anno Christi millesimo quingentesi-
 mo quinquagesimo, ac postea Anno mil-
 lesimo quingentesimo sexagesimo secun-
 do reliquere, ceteri vero ejusdem com-
 mentarii Anno Salutis nostræ millesimo
 quingentesimo quadragesimo quarto,
 necnon quarto post anno typis vulgati
 fuere. Ceterum Auctor in hisce suis
 operibus haud aliam impendit operam,
 nisi ut Sanctorum Patrum, aliorumque

inter